


beneficium non impendunt, donec sinceram suam conversionem dignis poenitentiae fructibus probantes, absolutionis salubriter accipiendae capaces evaserint. Haec sedulo meditare, charissime Discipule, & si aliquando, divina disponente Providentia, contingat, ut curam Animarum suscipias, fac ut in administratione Sacramentorum Poenitentiae, & Eucharistiae duas istas Regulas semper pra oculis habeas, quarum prima haec est: Sacerdos, ne potestate clavium sibi divinitus tradita abutatur, peccatores in mortalia continuo relabentes flagitia, atque scelestae vitae seriem post iteratas Confessiones minima emendantes, absolutionis beneficium statim donare non debet, donec dignis poenitentiae fructibus conversionis sinceritatem probaverint. Altera Regula ista est: Christiani, qui post amissam Baptismi innocentiam, ii potissimum qui in lethalia peccata iteratis lapsibus recidunt, non debent ante dignos sincerae poenitentiae fructus ad sacram Communio-

nem accedere. Has duas Regulas ex Sanctorum Patrum doctrina depromptas, si aliquando ad regimen animarum admodum diligenter observes, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audient.

D. Praeclara ista moralia documenta memoriae meae adamantino clavo infigere satagam, quibus, si ut par esset, uterentur animarum Rectores, non tot profecto essent larvatae poenitentiae, & sacrilegae Communiones, nulloque negotio extirpari possent omnes abusus, qui in administrationem Sacramentorum Poenitentiae & Eucharistiae irreperunt; cum e contra violatis illis Regulis, omnis Disciplina Ecclesiastica labefactetur, omnis Christianorum salus prodatur, omnis sincerae conversionis spes extinguatur, omnibus vitiis aditus & impunitas aperiatur, necesse sit. His igitur saluberrimis documentis praesenti Colloquio, & Historiae Ecclesiasticae saeculorum septimi & octavi finem imponamus.



HISTORIA

ECCLESIASTICA


IX. Ecclesiae Saeculi,

Variis Colloquiis digesta.



Nimus quidem erat, duo, quae sequuntur Ecclesiae saecula, nonum videlicet & decimum connectere, eorumque simul describere historiam. Sed attenda ubertate rerum, quae in historia noni Ecclesiae saeculi examinandae occurrunt, & in pauca, sine aliqua Historiae Ecclesiasticae imminutione, contrahi haud possunt; consultius esse duxi, ne hic Tomus in majorem, quam par sit, excresceret molem, decimi Ecclesiae saeculi historiam ad proximum Tomum remittere, & hic seorsim noni saeculi concinnare historiam, quam juxta facilem ac expeditam nobis haecenus a principio praescriptam methodum, sex Colloquiis compendiose narrare, ac dilucide explanare pro viribus satagam. In primo Colloquio exhibebo Statum Ecclesiae tam in Oriente, quam in Occidente sub Imperatoribus & Principibus Christianis. In altero contexam seriem Episcoporum, qui nono Ecclesiae saeculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, praetermissa omnino serie Episcoporum Ecclesiarum Alexandrinae, Antiochenae, & Hierosolymitanae, quia praedictae Ecclesiae, ut jam in superioribus Colloquiis ostendimus, a septimo saeculo, quo a Barbaris, seu Saracenis occupatae & oppressae fuerunt,

runt, Catalogum dumtaxat conseruarunt Episcoporum Hæreticorum, maxime *Jacobitarum*, qui illas rexerunt, & de quibus nihil aliud quidpiam compertum habemus præter ea, quæ in Colloquio secundo in historiam sæculorum septimi, & octavi ex *Papebrochio*, ex *Bollandi Continuatoribus*, & ex *Eusebio Renaudorio*, jam observavimus. In tertio Colloquio proferam in medium graves contentiones & controversias, quæ nono sæculo Ecclesiam haud parum perturbarunt. In quarto disseram de Conciliis, quæ ad Fidem stabilendam, & fanciendam Ecclesiæ disciplinam, fuerunt variis in locis convocata. In quinto, Virorum illustrium, qui sæculo nono doctrinæ & pietatis laude claruerunt, Gesta atque Opera indicabo. In postremo tradam Synopsim Doctrinæ Moralis Christianæ, & Disciplinæ tam Ecclesiasticæ, quam Monasticæ, quæ nono sæculo vigit.



COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo exhibetur Status Ecclesiæ tam in Oriente, quam in Occidente sub Imperatoribus, & Principibus Christianis.

D.



Urne nono sæculo sub Imperatoribus Orientis tranquillus Ecclesiæ Status, maxime post mortem *Irenes Augustæ*, quam, ut in præcedentibus Colloquiis observasti, *Nicephorus* Patricius Constantinopolitanus, & Logotheta generalis Imperio dejectam in *Lesbum* Insulam relegavit an. 802. in quo exilio ærumnis confecta obiit, ipse vero per tyrannidem Imperium invasit?

M. Ecclesia in Oriente summa pace potita est imperante *Irene* femina piissima, *cujus opera Deus cuncta, que prior discordia, instar serpentis lubricissima, Ecclesiæ irrepens distraxerat, in rectæ fidei unam confessionem clementissima benignitate adduxit*, inquit *Ignatius* Diaconus in Vita Sancti *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani loquens de septima Synodo generali *Irenes* Imperatricis opera congregata. At exauctorata *Irene*, quæ a Græcis colitur die XIII. mensis Augusti, Ecclesia multis procellis fuit agitata a *Nicephoro*, qui, in Monasterio reclusa *Irene*, & *Bardanio*, cognomento *Turco*, qui invitus a militibus fuerat Imperator saluatus, amoto & excæcato, tyrannice Imperium occupavit, & filium suum *Stauracium* manibus *Tarasii* Patriarchæ Constantinopolitani Imperatorem coronari curavit, hominem, ut scribit *Theophanes*, *sive vultus speciem, sive corporis robur, sive denique mentis captum spectes, ad eam dignitatem plane ineptum*. *Nicephorus* potitus Imperio *Paulicianis* novis *Manichæis* impense favit, eisque, teste *Theophane*, libere cum aliis vivendi, & Civitatis jure citra metum utendi facultatem dedit: *ex quo multos levioris ingenii homines nefariis eorum opinionibus depravari contigit*. *Christianos* pios crudeliter persecutus est. *Episcopos*, *Clericos*, & *Monachos* pessime habuit, & a Magistratibus opprimi, conculcari, hisque in servorum modum, eorumque bonis impune abuti iussit. *Theodorum Studitam*, *Josephum* Thessalonicensem Episcopum ejus fratrem, *Platonem*, & alios *Monachos* Urbe ejecit, & in exilium ablegavit eo solo nomine, quod ipsi se segregassent a communione *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani, qui *Josephum* Presbyterum & *Æconomum* Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ a *Tarasio* decessore *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani ob conciliatas incestas nuptias *Constantini* Imperatoris filii *Irenes* cum pellice *Theodote*, deposi-

Graves. Hist. Tom. III.

tum, in pristinum Presbyteri locum restituerat. Tyrannicas in populum exactiones, & tributa insolita, quibus Ecclesiam opprimebat scelestus ille, & inexplebilis avaritiæ Imperator, enumerat *Theophanes*, quas summatim ex eo indicat *Baronius*. Hinc *Theodosio* Patricio familiari suo illum de nimia erga Ecclesias ac populum duritie arguenti respondit immanissimas ille Imperator: *cor suum, ut olim Pharaonis, obduruisse*. Bellum cum Saracenis habuit, a quibus pacem turpissimis conditionibus redimere coactus est. Sed non diu tam scelerati capitis poena dilata est. Ingressus quippe *Nicephorus* in Bulgariam cum exercitu, & prosperis aliquot præliis redditus insolentior, tandem a *Crummo* (is erat *Bulgarorum* Rex) victus, captus ac interemptus est. *Ampuratum* *Nicephori* Caput adventantibus variis Nationibus ostentandum per dies multos in *Romanorum* dedecus, & vituperium in ligno suspendit *Crummus* Rex *Bulgarorum*, inquit *Theophanes*. In hoc prælio omnis fere Græcorum nobilitas periit, multique e militibus capti, qui fidem ejurare nolentes Martyrio coronati sunt, quorum memoriam *Menza* Græcorum ad diem xxiv. mensis Julii celebrant. Sic extinctus est impius *Nicephorus* anno mcccxi. postquam imperasset annos octo, menses totidem, & dies xxvi. *Stauracius* ejus filius multis vulneribus in prælio sauciatus Constantinopolim desperata valetudine delatus, dum novas cædes molitur, atque Imperium uxori suæ: *Theophanie* firmare cogitat, *Michael* *Curopolates*, ab avo suo dictus *Ranghabe*, consiliorum ejus executionem antevertens, a Senatu & exercitu Imperator est salutatus, & *Stauracius* frater *Procopie* uxoris *Michaelis* *Curopolatis* in Monasterium detrusus est.

D. *Michael* *Curopolates* ad Imperium evehus reparavitne ea, quæ illius decessor *Nicephorus* Ecclesiæ intulerat damna?

M. Inter optimos Imperatores jure merito annumerandus est *Michael* *Curopolates* cognomento *Ranghabe*. Testatur siquidem *Theophanes*, ad innumeras istius Imperatoris virtutes ac probos mores accessisse, quod cum pietate & recta in Deum fide excelleret, eorum, qui se quocumque prætextu, sive legitimo, sive perverso, Ecclesiæ cætu sejunxerant, ærumna graviter offenderetur. Quapropter, Sanctissimum Patriarcham (*Nicephorum* Constantinopolitanum) ceterosque omnes, qui pacis commune bonum promovere poterant,

F

terant,

terant, assiduis precibus & hortatibus interpellare non desistebat, præ cæteris vero Theodorum studii præpositum, & Platonem, & Josephum Thessaloniam Archiepiscopum, Theodori fratrem archiepiscopi custodia mancipatos, una cum Studitarum Monasterii primoribus ad concordiam & unitatem revocare debebat, quæ res ei feliciter successit. Zelo quoque maximo pientissimus Imperator accensus animadvertere voluit in Hæreticos Paulicianos novos Manichæos, capitis pœna Nicephori Patriarchæ & aliorum Orthodoxorum hortatibus pronuntiata. Sed, ut scribit Theophanes, aliorum male feriatorem consiliis, pœnitentiæ ab illis hæreticis ineunda obtentu, ne sententiam executioni manderet, impeditus est. Eorum tamen haud paucos capitis abscissione damnavit. Verum, quod dolendum est, brevi admodum tempore habenas Imperii moderatus est Michael, quippe qui, repudiatis pacis conditionibus, quas ei Crummus Bulgarorum Rex offerebat, exercitum anno dcccxi. in Thraciam duxit, eique Crummus numerofo exercitu obviam venit. Conserto prælio Imperator cum multis suorum velocissima fuga pugna sese subduxit, adeo ut Crummus ipse spectaculi novitate deterritus, insidiarum in suos stratarum, quod oculis probabat, apparatus existimaret. Ubi vero tam præcipitis fugæ veritatem compertam habuit, stragem Romanorum maximam edidit, & insignem victoriam reportavit.

(a) Militares copias de Imperatoris fugæ veritatem factæ, Leonem Armenum ut periclitantem Christianam Rempublicam sustineret, & projectum colligeret Imperium, rogarunt. Leo Armenus primum simulata modestia aliquo tempore pendulus hæere visus est; at, rogante Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, ut Clavum regeret Imperii, quo Michael tanto ferendo oneri impar se se sponte abdicabat, Imperii insignia suscepit, & a Nicephoro Patriarcha coronatus est. Michael vero, Procopia ejus uxor, eorumque liberi Theophylactus, & Ignatius, qui postea Constantinopolis Patriarcha fuit, Monasticum habitum induerunt, & jussu Leonis Imperatoris ad Insulam Proten fuerunt relegati. Sed Theophylactus & Ignatius, priusquam in exilium ducerentur, virilibus orbat, seu castrati sunt.

„ (a) De hoc Crummo videnda omnino quæ tangit Theophylactus in historia martyrum XV. Bulgarorum, vulgata ex MS. Cod. Oxoniensi in nova operum Theophylacti editione Veneta anni 1758. tom. 111. pag. 497. ubi Crubus pro Crummo appellatur, cui & filius datur Ombritagus, sub quo martyrium passus ibidem legitur Cinamon Adriapolitanus. Porro Ombritagus iste idem creditur sapientissimo editori opusculi hujus P. Fineto cum Mortagone, qui apud Ducangium tertius a Crummo Bulgarorum Rex statuitur, ac defunctus anno 826. Successores ejus in Regno ibidem percensentur.

D. Leo Armenus fuit in administratione Imperii, & in procuranda Ecclesiæ pace similis decessori suo Michaeli?

M. Leo Armenus coronatus Imperator die X.

mensis Julii an. dcccxi. multum Michaeli decessori suo dissimilem se præbuit. Nam, licet in rebus Imperii administrandis solers ac vigilans fuerit, (Bulgaros siquidem ingenti prælio vicit, & contra Arabes feliciter pugnavit) in his tamen, quæ ad Religionem attinent, summam impietatem prodidit, cujus etiam infausta præsentia in ipsa sua coronatione dedit, quæ describitur Ignatius Diaconus in Vita S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani. Inauguratus Leo Armenus Imperator falsum quemdam Vatem nomine Sabbatium consuluit, qui ei, & filio Constantino duos supra triginta Imperii promisit annos, si omnem Imaginum memoriam, & cultum abolere vellet. Ea diuturni Imperii spe inescatus ambitiosus, & sacrilegus Imperator, instaurata Iconomachorum Hæresi, in omnes Christianos Imaginum cultores anno secundo Imperii sui tanto furore lævire cepit, ut vidisset velut in captivitate hostili Sacrarum Imaginum conculari donaria, & quæ vulgo intacta fuerant atque inspectata, prophanis trahi manibus; ac promiscue plebis exponi spectaculo: ab Ecclesiis expelli Pastores, & Lupos gregibus præfici: fugari qui rectam doctrinam professantur, quibus vero execrationi illa erat, eos in domesticos, & necessarios recipi: Clericos ludibria atque verbera expertos, firmissimis undequaque ergastulis detineri: Nazareos nostros verberibus, fame, siti, diuturnis carceribus ac laboribus maceratos, ad extrema usque pericula inter cruciatum perseverare, & horum quidem alios gladio vitam amittere, alios culcis inclusos vinculosque saxorum more alto pelago demergi; feminas vero, viris spectantibus, denudari, ac velut reas equuleo distendi ac cædi, omnia virili sensu Christi causa perferentes. His verbis Ignatius Diaconus in Vita S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani describit motam a Leone Armeno Imperatore in Christianos Imaginum cultores persecutionem, in qua præsertim enituit virtus Studitarum, & maxime Sancti Theodoci eorum præpositi, & Sancti Nicolai, qui in Monasterio Studitarum sub Theodoro vivebat, & ut videre est in Vita Sancti Nicolai Studitæ, quam doctissimus noster Combefisius Tomo I. Supplementi Biblioth. Græco-Latinæ ex codice Regio describit ab Auctore Anonymo exaratum. Dum sic in Imaginum cultores fureretur Leo Armenus, contigit, ut Michael, ob linguæ vitium Balbum appellatum, læsæ Majestatis reum capitali sententia damnaverit. Sed cum ad supplicium duceretur Michael Balbus, Theodora Imperatrix Leoni marito suo persuasit, ut, ob Festi Natalis Christi reverentiam illius interitum procrastinaret. Annuit Imperator uxoria supplicatione victus, & in carcerem Michael Balbus vinculis constrictus reductus est. Qui postmodum literas ad conjurationis conscios misit, quibus minabatur, se omnes Imperatori indicaturum, nisi celeriter adessent. Quo factum est, ut hi ad Regium Palatium sese acurrerint, seque cum Clericis commiscuentes, strictis ensibus, dum Imperator hymnos, ut consueverat, in Ecclesia auspicatus esset, ex angulo profilierint, eumque mul-

multis vulneribus confecerint. Ejus cadaver effrangi licentia sicarii per Circum traxerunt, illius uxorem, nempe Theodosiam, & quatuor ejus liberos, Symbatium videlicet, cui per inaugurationis solemniam inditum erat Constantini nomen, Basilium, Gregorium, & Theodosium e Palatio egerunt, hosque omnes lembo impositos in Insulam Proten duxerunt. Ibi exsecti, seu castrati cum essent, Theodosium mori contigit, sicut scribit Constantinus Porphyrogeneta lib. 2. Chronographiæ. Sic misere perit Leo Armenus die Natalis Christi Domini anno dcccxx. postquam imperasset septem annos, menses quinque, & dies quindecim.

D. Quis in Imperio Orientis successit Leoni Armeno?

M. Michael Balbus, qui Leoni Armeno mortem machinatus fuerat, eo occiso, pedes adhuc in custodia constrictus Imperator est acclamatus, & malleo contractis compedibus, pedore carceris adhuc conspurcatus, ad Sanctæ Sophiæ Templum deductus & inauguratus a Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano. Armenio, quod Phrygiæ Oppidum est, oriundus erat Michael Balbus, & impiam prædecessorem suam Leonem Armenum nequitia æquavit, immo & superavit. In primis, sceleratissimi Imperatoris Constantini Copronymi Vitam, eum exemplum quoddam, formamque propositam habens, accuratissime eam reddere satagebat. Modo Sabbatis jejunandum esse sanciebat, modo adversus divinos Prophetas linguam acuebat, ac tum futuræ resurrectioni, tum bonis illam comitantibus fidem detrahebat. Non esse prorsus Diabolum, ut quem Moses non tradiderat, obganiebat. Fornicationem amplexabatur, ac solum, qui est super omnia, Deum, juramentis adhibendum statuit; Judam perulca & effreni linguæ, Beatis accensebat. Salutaris Paschæ Festum cavillabatur, tanquam male nec legitimo tempore celebraretur. Litteras eum sacras, tum prophæas sic aspernabatur, ut nec pueros illis imbui sineret, sicut testatur Constantinus Porphyrogeneta lib. 2. Chronographiæ. Præterea, Michael Balbus Judæorum, Manichæorum, cæterarumque id genus pestium colluvione, constata secta in Phrygia orta, a teneris annis in Patria sua infectus, crudele bellum sacris Imaginibus indixit. Methodium, qui postea Patriarcha Constantinopolitanus fuit, & Euthymium Sardinum Antistitem, viros sanctissimos in exilium extrusit, quod sacrarum Imaginum cultum negare nollent, & immaniter persecutus est. Euphrosinam Monialem, quam deperibat, e Monasterio rapuit, sibi que matrimonio copulavit. Thomam quemdam tyrannidem sibi parantem, ope Bulgarorum devicit, & omni crudelitatis genere lanavit. In quatuor superstites Leonis Armeni filios atrociter lævit, eosque castrati jussit, quorum unus in sectione mutus effectus est, alter obiit. Sub hoc Imperatore bipedum nequissimo, Imperium Romanum magna diminutionem passus est. Creta siquidem a Saracenis occupata est circa annum dcccxxii. Siciliam vero anno dcccxxviii. invaserunt Afri-

cani prodione Euphemii, qui tamen in Syracusana obsidione cæsus, perfidiæ suæ pœnas luit. Exinde, Calabriam, Apuliam, & pleraque Italiae partes occuparunt Saraceni. Dalmatia Imperatorum Orientis jugum excussit. Obiit tandem flagitiosissimus Imperator anno dcccxxix. postquam annos novem, & toridem menses Imperium tenuisset. Moriens Theophilum filium suum Imperii reliquit heredem.

D. Patris sui Michaelis Balbi impietatem sectatusne fuit Theophilus Imperio positus?

M. Patris sui Michaelis Balbi impietatis æmulus, perinde ac Imperii hæres fuit Theophilus. Iconoclastarum siquidem Hæresi, quam a suis majoribus acceptam cum læte fuxerat, impense addictus, Theophanem, & Theodorum, Viros religione spectatissimos acriter insectatus est. Religiosam turbavit plebem, varique generis malis afflixit, nec, quamdiu Imperii habenas moderatus est, quiete eam agere permisit. Hinc, teste Constantino Porphyrogeneta, cujus historiam e Græco in Latinum vertit noster Combefisius, congruentem hanc a Deo mercedem retulit, ut nihil præclari facinoris in bellis ediderit, sed victus semper, nec ut decet Imperatorem, domum rediit. Expeditiones quinque adversus Saracenos suscepit Theophilus Imperator, & in ultima datus in fugam, Amorium, Urbem a Barbaris expugnata, multa hominum millia cæsa, Primarios Duces, aliosque Viros illustres in captivitatem abductos vidit, quorum libertatem, cum oblata etiam pecunia a Barbaris impetrare haud posset, in mœrorem incidit, inde in dysenteriam, qua perit Anno 841. dies xviii. Refert Zonaras Scripator Græcus, quod Theophilus Imperator, paulo antequam moreretur, veritus, ne, se mortuo, Theophobus Petra & insignis Dux, quo in bellis contra Saracenos usus fuerat, tyrannidem invaderet, eum interfici, caputque illius sibi afferri jufferit, manique imposita & contrectatis capillis dixerit: jam neque ego Theophilus sum, neque tu Theophobus; iisque dictis, animam exhalaverit. Quamvis autem Theophilus impietatem patris sui in propaganda Iconoclastarum hæresi æmulatus fuerit, testantur tamen Historici Græci, Constantinus Porphyrogeneta, Zonaras, Cedrenus, & alii, ipsum fuisse juris exactorem severissimum. At enim statim ac ad Imperium provectus est, eædem Leonis Armeni Imperatoris ultus est, Parricidis Capite damnatis. Euphrosinam ad Monasterium, ubi primum comam posuerat, redire compulsi. Priuatorum causas interdum audire solebat. Annoz, rerumque venalium pretium moderabatur. Urbem meretricibus purgavit, libidinem domuit, & a divitiarum cupiditate fuit omnino alienus. Theodoram e Paphlagonia ortam, sceminam sanctissimam duxit uxorem, eamque Icasie nobilitate, pulchritudine & doctrina longe præstantiori his omnibus virginibus, quas ipse uxorem daturus in suum Palatium accersiverat, prætulit. Cum enim Theophilus omnes illas virgines obambulans spectaret, aureum pomum præ-